

felicitati illius amicitia est amicitia vite presentis sublimior atque presentior. Nec dubitandum tibi est angelos illos amicos esse hominum amicorum dei altissimi cum et videant illos ab eo dilectos et etiam semetipsos ab illis. Quod si quis dixerit quod gaudia felicitatis illius ex apprehensione sunt sine cognitione cognitioni vero felicitatis illius non videtur aliquid addendum cum tanta claritas sit statim illius ut ipsa futura se ibi tanquam presentia videant et propter hoc gaudia illis nihil ex futura glorificatione hominum vel animarum auget gaudia felicitatis illius. Dico in hoc quod non est iudicium ad certum et liquidum declaratum adhuc et etiam si esset verum multum distat inter apprehensionem quam apprehendit res esse futura et eam quam apprehendit esse presentem. Sic et inter cognitionem quam aliquis cognoscit se aliquid bonum habiturum et eam quam cognoscit et sentit se iam habere illud. Et dixerunt aliqui quod multum distat inter gaudium rei iam habite vel obtente. Et si igitur pronoscatur a sanctis ac beatis angelis certitudine indubitata societas eorum vel hominum scilicet vel animarum quod ad eorum consortium assumendum sunt non dum in habere nisi in spe et ut verum dicatur tamen speratur habenda non dum autem habere. Quod si quis dixerit quod non est futura eis maior aut certior cognitio quam iam habeat ab eis de gloria associandorum sibi. Dico quoniam nec verum est quia cum fixum erit omnino quod immutabile quod creator statuit de glorificatione futura hominum vel animarum erit certior ac firmior cognitio sanctorum angelorum de illa. Quia vero de multis pendet adhuc quam multi qui iusti sunt et sancti possunt et mali fieri et mali decedere ex hac vita et multi preparati sunt et prelecti ad gloriam illam quam possunt et non esse electi et nunquam fuisse electi ad illum et hoc docentur in sequentibus. Manifestus est in super quam sic aliud est futuritio rei alicuius aliter presentia seu presentialitas eiusdem. Sic alia est cognitio de ipsa futuritione rei alicuius alia de presentia seu de presentialitate ipsius apud creatorem aut non sic est cur et apud quem de his quod sua sunt nihil deperit aut preterit. Verum apud beatos angelos et animas sanctas quod in consortium eorum iam assumpto sunt perit et preterit spes quorundam bonorum futurorum. Similiter et gaudium de spe ipsorum quam cito ipsa adueniunt et ab eis presentialiter obtinetur.

De gaudio future beatitudinis an secum
 ppariat operationem aliquam corporalem.
 m Frabitur autem quis non immerito de
 ipso gaudio future beatitudinis spiritum
 quod quo fructure sunt anime ex aspectu pulchri

tudinis creator etiam sensu bonitatis ac suavitatis eiusdem an secum pariat operationem aliquam corporalem siue sensibilem in hominibus glorificatis. Cum enim degustatio tam modica que nonnulli sanctorum virorum hic interdum conceditur ita rapiat in se et occupet corda eorum ut aliud illa hora vel agere vel cogitare non liceat et ita etiam vel vere mortui sint vel mortui videantur sensibus et viribus corporis penitus destituti. Quid abyssus illa suavitas et gaudiorum illorum immensitas factura est in hominibus tunc glorificatis. Deficiet igitur videtur ex necessitate vita corporalis et usus omnino corporum humanorum. Dico igitur in hoc quod sicut predicti de plenitudine illa et immensitate erit redundantia conveniens in ipsa corpora humana et erit ipsa expediens et confortans ultra admirationem nostram vite autem nostre corporalis miseria et infirmitas nec presentem gratiam aut virtutum operationes absque molestia et debilitate sua sustinet. hoc autem est non solum propter infirmitatem ac debilitatem suam sed propter quandam quodammodo contrarietatem quam habet ad bona spiritualia. hec autem est innata corruptio quam eis adversatur et hinc est quod convalescentibus et proficientibus bonis spiritualibus hoc est gratiarum donis et virtutum ipsa infirmatur et deficit. In sua vero puritate et in sue incorruptionis firmitate confortabitur ut predicti ex bonis spiritualibus future felicitatis utpote in nullo discrepans ab ipso spiritu in nullo tunc adversans eidem et hoc dignum et iustum est ut cessante corruptione innata que causa contrarietatis atque rebellionis istius sola est sit pax inter carnem depuratam et spiritum illa felicitatis gloria sublimatum.

De loco iudicii.

Est hec autem tentabo de ipso loco iudicii universalis futuri quod futurus est. In quo reminisci debes sermonum prophetarum quod de hoc aliquid locuti sunt et expressit aliquis quod in valle iosaphat que est non longe a hierusalem civitate famosissima. Verum hoc per metaphoram more prophetico dictum esse forsitan quis opinetur quoniam vallis illa posse capere nullatenus videtur innumerabilem illam multitudinem omnium gentium de quibus non est dubium quod in illo iudicio iudicande sint et numerabile etiam est si medietas totius terre eas capere sufficiet. Sapientes vero et doctores gentis christiano dicunt regem glorie iudicemque omnium descensurum in aerem